

B.M.K. 11/2398

65.

VIRTUS POST FATA
PERENNANS.

Perillustris dum viveret
ac Generosi

DOMINI

BALTHASARIS BIL-
DESKUTI,

de Iip;

Celssissimi Domini

D. MICHAELIS Sacri Roma-
ni Imperii Principis APAFI II. Aulae
Familiaris, & supremi Stabuli Praefecti;
nec non Inclyti Comitatus Karasznenfis
Vice Comitis substituti, &c.

Funebri laudatione celebrata,

Ab Amico, & quondam in Aula praenominati
Celssissimi Principis Conservo,

S. Sz. N. R. S. T. P. G.



07868

66.



O R A T I O.

Immortales finxit vetus fabula, Non eos modò, qui specioso virtutum obtentu, sibi, aliisque illuscere; sed & eos, qui variis infames sceleribus, nè quidem nomen mortalium meruere. Sive quia vanitas mortalis ingenii hæc est, ut sui amans nimium atque admirabundum, præcipiti in se, suasque si quas possidet dotes affectu rapiatur, eorumque importunus existat adorator: sive quia insana assentatorum turba, etiam suspecta ex magnitudine adoratura, ob levia & evanida virtutum simulacra, Immortalem prædicare Quem, ac Divorum forti exæquare non erubescit. Quum in hoc rerum & naturæ circulo, Conditoris sapientia voluerit, ut comune mortalitatis exemplum ederetur, & nè esset in hoc mortalitatis conspecto, quod divinitatis supra se collocatæ sortem æquaret." Quò tamen in fingenda, affectandaque immortalitate, processerit hominum temeritas, si non dementia, antiquorum monstrant æmulationes ac studia. *Alexandrum* M. tum suâ ambitione Divinitatem Sibi arrogasse, tum parasytorum adulatione, Immortalem creatum & Diis genitum quis ignoret? Quod ipsum abundè testatur *Nicesiæ* factum, Qui cum semel vulneratum *Ilum* conspiceret, exclamat *Homericum* illud:

Ἰχθὺρ ὅσος πέρ τέρεει μανάρεσσι θεῶνισι.

Qualis Divorum percurrit corpora sanguis.

Sed istam vanitatem advertit interdum Ipse *Alexander*. Ita enim de *Eo Seneca*: Alexander M. quum in obsidione Urbis cujusdam circuisset muros, ictu sagittæ percussus, cum represso sanguine dolor cresceret, & crus obstupuisset, coactus abstinere. *Omnes* (inquit) *jurant Me Jovis esse Filium; sed vulnus hoc, hominem Me esse clamat.* *Cyrum* primum *Persarum Dynastam*, Auctorem fuisse *Militiæ Immortalis* appellatæ, quis nesciat? quam, & ultimum *Persarum Regem Darium Codomannum*, Suo in exercitu habuisse, notum est; sed fictam illam fuisse immortalitatem, eventus docuit. Ita enim *Nicephorus*. *Legio* (inquit) *erat apud Persas, quæ vocabatur immortalis, 10000. numerum habens, quam ex delectis & fortibus Viris semper complebant; quam olim Romani, Imperante Theodosio, Christo Duce, ita conciderunt, ut subito mortales omnes comperti sint.* *Caligulam, Domitianum, Diocletianum*, alios, Homines turpibus infames sceleribus, Se Immortales finxisse, apotheosin affectasse, templisque ac altaribus coli voluisse, cui non constet? Quos tamen omnes, mortalitatis lege victos fuisse, tragicus si non omnium, certè infelix exitus, documento fuit.

Nos ex vero *Immortales*, & ut dicam cum *Tertulliano*, *Æternitatis Candidatos* facimus, qui non fucō & larvâ duntaxat Virtutum speciosi, sed ad interiores earum admissi delicias, secretiusque commercium, fidem faciunt, se quisquid hoc est mortalis vitæ, impendio veræ virtutis & supremæ Divinitatis venerationi decrevisse, quò beata olim immortalitate frui contingat. "Ut illi demum in gratiam cum Divinitate rediisse vi-

"dean-

deantur, qui animo à caducis & vanitate sua fluxis re-
 bus abducto, sempiterna illa jugiter volvunt, inque
 eorum contemplatione defixi hærent. Et illorum
 mentibus beatam æternitatem reservari non fit dubi-
 um, quorum vita continua æternitatis meditatio fu-
 it; & qui labilem mortalis ævi cursum, ad veneratio-
 nem supernæ Majestatis ac Virtutis direxerunt." Quo-
 rum in ordine, censeo jurè *Nostrium Perillustrem ac Ge-
 nerosum Balthasarem Bideskutium*, inficias ibit opinor ne-
 mo, qui Iconem vitæ & virtutum Ejus (:irretortis ta-
 men oculis:) contueri non recusabit. Quam dum
 pingere molior, nec tamen totam, sed extrema dunta-
 xat lineamenta rudiori pennicilo adumbraturus, & in
 laudatissimo *Nostri* exemplo demonstraturus, non tam
 splendorem Natalium & Avitum stemma, quàm Virtu-
 tum gloriam, parere æviternum Decus, ac immorta-
 le nomen. Non quid arti vel operi desit; sed quàm
 aptè Imago suum repræsentet Exemplar, æquo Arbi-
 trorum judicio lubens submitto.

Dictatura Summæ Auctoritatis, quæ regendis mor-
 talium rebus intercedit, omnium ex æquo fata eâ le-
 ge moderatur, quod totum genus humanum, quaqu-
 versùm terram incolit, æquali sive nascendi, sive mo-
 riendi forte obligaverit: suasve cuique stationes, suos
 terminos, quos nec præoccupare, nec elongare, nec
 vi aut arte ullâ intervertere fas est, assignaverit. Ea-
 dem tamen faventior aliis, aliis se asperiores præ-
 bens, notabili dispungit mortalium fata discrimine;
 quò fit, ut nonnullis, lege quadam ortûs, addictam
 se & propitiam, aliis inclementem & iratam monstret.

Neque enim eadem omnibus origo, neque originem infecuta vitæ ratio: quum aliqui nativam lucem ipsi secum ferant, & splendore natalium supra vulgus emineant, cui fortiori luminis vi allucere, Natalesve suos illustres ac conspicuos facere gestiunt: alii ut obscuro eduntur ortu, sic ætatem manent obscuro, nec ultravilitatem suam assurgere sufficiunt: alii Parentibus licet obscuris editi; sibi tamen *Virtute magis, quàm sanguine nitendum esse* rati, immortale decus & mansurum in secula nomen conciliant. "Patriæ quippe, Nataliumque splendore Illustres non censentur Viri, sed animi excellentiâ, quæ libata ex fonte divinitatis, nusquam non potest obtingere." Nec decus quæritur, titulorum tantum jure, aut imaginum, quas suscipere vulgus Nobilium solet; aut quas infelix superbia, alienis virtutibus innixa, per atriorum pegmata, relucens liminibus disponit. Etenim,

*Stemmata quid faciunt? quid prodest pontice longo
Sanguine censeris? pictosque ostendere vultus
Majorum?*

Quin imò stëmatis gloria & imaginum multitudo obscurant eos, qui ab avita Majorum virtute turpiter degenerant, & vitia quibus Se, genusque suum contaminant, reddunt conspectiora: quum hominum obscurorum maculas domesticæ tegant tenebræ, & multorum fallant conscientiam; eorum autem, qui Illustres audiunt nævi, in publicum latius exeant, plurimumque oculos & animum feriant. Unde *generosissimarum imaginum fætus, qui in aliquod devoluti dedecus, acceptam à Majoribus lucem in tenebras convertunt, signi-*

ficanter

ficantè *Nobilia portenta* vocat *Non nemo*: ad Quæ meritò obstupescere, & attonitâ mente exhorrescere liceat. Quis enim non stupeat, degenerem aded Præclarorum Parentum sobolem, ortûs sui prorsus oblitam, teterrimis ignaviæ & nequitix fordibus inquinari? Quis non exhorrescat (: ut in exemplum afferam :) ad profanitatem *Esavi*, indignæ Magno Patriarchâ prolis? ad destinatum *Abfolomi* parricidium, & incestuosam libidinem, *Viri secundum cor DEi*, Filii degeneris? ad insensatam *Roboami* dementiam, Nati Regum sapientissimi *Salomonis*? "Quid monstro similis, quàm *Majoris Africani* Filius *Scipio*? qui in tantâ domestica gloria ortus, Virtutis paternæ immemor, à parvulo admodum Regis *Antiochi* præsidio capi sustinuit, de quo mox speciosissimum Deorum hominumque oculis subjecturus erat tryumphum." Cui ob effœminatum & turpem sceleribus animum, Præturam gratia *Cicerei* ægrè consecuto, & malè administranti, à Propinquis Ejus annulum, cui Caput *Africani* insculptum erat, detractum legimus; indigno, qui pollutam ignaviâ Magnanimi Parentis *Africa* Domitoris gestaret imaginem. Quid stupendum magis, quàm *Fabio Maximo Allobrogico*, & Civi & Imperatori Clarissimo, nasci Filium, nomine duntaxat *Fabium*, "qui perditam luxuriâ vitam egit: cujus ut cætera flagitia obliterentur, tamen abunde illo dedecore mores nudari possunt, quod Ei *Q. Pompejus* Prætor Urbanus, paternis bonis interdixit; neque in tanta Civitate, qui illud decretum reprehenderet, inventus est. Dolenter enim homines ferebant, pecuniam quæ *Fabie* Gentis splendori ser-

"vire

"vire debebat, flagitiis disjici." *Dii boni, quas tenebras, ex quo fulmine nasci, passi estis!*

Sed quorum *de meliore luto finxit præcordia Titan*, licet Natalibus & Patriâ obscuri vel etiam ignoti sint, Virtutis præsidio emergunt sæpius: & non tam sibi genus & patriam, quàm se generi & patriæ ornamento esse, palmarium ducunt; quamvis enim Natalium splendore ac gloriâ, virtus si non constitui, animari certè, & Ipsa pretium suum augere possit. *Quamvis, Haud facile emergunt, quorum virtutibus obstat Res angusta domi.*

Et quamvis ad habitum animi, gestuumque ac morum cultum, nimis quàm multum conferant, & dispositio sanguinis, quem nascentes trahimus; & ingenium loci cujus aërem haurimus, & eorum vivendi ratio inter quos adolescimus, & exempla Majorum ad quæ vitam ac mores componimus; tamen nulli non patet liber ad Virtutum penetralia aditus; si modò quærere Ea & ingredi audeat, quôcunque demum loco, quôcunque genere natus fuerit. Inest enim omnibus, *divina illa particula aurea*, quæ fœcundis Virtutum feminibus imprægnata, & omni virium contentione culta, neminem unquam frustratur; nec cultorem sui spe dignè impensî laboris fallit; imò læta respondet Virtutum fegete, & præmia largitur opima, iis quoque qui vel Patriâ incelebres, vel Natalibus obscuri exstiterunt. Unde contigit non paucis, humili loco natis, ad augustos surgere honorum gradus, & Imperatorios capeffere fascës. "Incunabula *Tulli Hostilii* agreste tugurium cœpit; adolescentiam pecuaria occupavit; validior ætas

"Imperi-

"Imperium Romanum rexit & duplicavit; senectus ex-
 "cellentissimis ornamentis decorata, in altissimo Maje-
 "statis fastigio fulsit. *Tarquinius Priscum* ad capeffen-
 "dum Imperium fortuna Romam advexit, alienum
 "quòd ortum Corintho, fastidiendum quòd mercatore
 "*Demarato* genitum, erubescendum quòd etiam exule.
 "Cæterùm tam prospero conditionis suæ eventu, indu-
 "striam pro ignominioso, pro inviso gloriosum reddi-
 "dit; nec unquam Romam pœnituit, quòd Regem à
 "finitimis mutuâisset, quàm de suis legisset. *Servium*
 "*Tullium* vernam Romanum fortuna Regem creavit;
 "Cui quidem diutissimè Imperium obtinere, quater lu-
 "strum condere, ter triumphare contigit. Miro gra-
 "du *Terentius Varro* ad Consulatum ex macellaria Pa-
 "tris taberna conscendit." Docente id horum omni-
 "um exemplo, *non obesse Virtuti sortem*, Eamque si dignè
 "æstimetur ac colatur, optimam esse vitæ Ducem ac Ma-
 "gisfram.

Cæterùm nè inane *Virtutis* nomen memoremus,
 quod & illi circumferunt, qui vero *Ejus* ornatu destitu-
 ti, umbram duntaxat captant Virtutum, prima Eas ab
 origine arcessamus, necesse est. *Virtutem Deorum*
progeniem dicebant antiqui; imò *Deum* aliqui, alii *De-*
am. Deorum Dearumque turbam, vel sana ratio jam
 dudum throno decedere iussit. At quod origo Virtu-
 tis Superis debeat, id verò certum est, non laxâ tan-
 tùm ratione illâ, quâ omnia clamant, Supernæ manûs
 se esse ποιήματα; sed imprimis quum arctior Deo cum
 Mentibus intercedat necessitudo, intimiusque commer-
 cium: Eæ autem solæ hospitium præbent Virtutibus,

Virtutes non nisi à Deo incipiunt, & in eodem desinunt, cujus ferventi amore animum imbuunt, & ad Eum unicè tanquam summum finem ac bonum anhelare faciunt. Quum enim *Mens ad Deum & Aeternitatem condita sit*, ut ait *Augustinus*, illa, ad Deum centrum omnis veri ac boni jugiter aspirare, ad Eum omni voto contendere obligatur; nec illius desiderium, nisi solà Dei fruitione exfatiari potest. Ut vera tandem Virtus cluat, quæ non rebus istis feculentis, & infra sortem humanæ *ἐξοχῆς* damnatis, in speciem duntaxat bonis & larva apparentis veri illudentibus, mentem applicat; sed altius eam evehit, ad inexhaustam Scaturiginem omnis boni, ad Fontem æternitatis, ad Deum verbò, à Quo omnia, à Quo nos ipsi, omniaque nostra: in Quo recondita beatitudo nostra. Quem si possideas solum, fatis est; si præter Eum omnia, nihil: in Ejus enim comunione reposita perennis gloria, immortale Decus, ævùmque duratura omnis boni copia.

Reflectite nunc oculos animumque ad Exemplar, quod hâc imagine adumbrare contendo: Perillustrem quondam ac Generosum *Balthasarem Bideskutium*. In Quo, ut dicam cum *Sidonio*, *Natura*, *Virtus*, *Fortuna*, *Sibi compendium fecerant*. Provida enim *Nature* fecundæ rerum Parentis obstetricatione ac curâ, non erat cur de nascendi conditione quereretur; ex antiquo non minùs & à multis retrò seculis florente, quàm avitâ nobilitate splendido stemmate trahens originem. Patre quidem *Generoso* quondam *Francisco Bideskutio*; Matre verò *Generosa* quondam *Elisabethâ Balog*. Quib⁹



ortus Parentibus, Eorundem sollicitudine, molli adhuc & fasciis vix exoluto, femina *Virtutum* implantari cæperunt. Indè enim à teneris, studio Artium Liberalium, Pietatis in Deum, & Caputum Christianæ Religionis imbutus, dum per ætatem licuit, morum quoque generoso sangvine dignorum cultui innutritus est. Stratis horum fundamentis, in *Schola* patria *Somlyoviana*; mox (:qvum ob incurfionem Barbarorum cum Parentibus exulare cogeretur:) *Szathmarinâ*. Qvum autem ætate simul & virtutibus adolesceret, & altiorum studiorum capax effet, fœliciter promovit ea, in *Illustri Claudiopolitano Reformatorum Collegio*. In Quo, post edita docilitatis, sedulitatis, acuti ingenii, decori gestûs, natæ in publicum bonum generosæ indolis, aliarumque Virtutum specimina, studiorum cursum cum laude emensus, qvum annos juventutis ingrederetur, viam *Sibi* aperuit, quâ Parentum, aliorumque conceptæ de *Se* spei ac votis responderet. Conscius non tam splendorem natalium & avitum stemma; quàm virtutum gloriam parere æviternum decus, ac immortale nomen. Quod consequuturus, qvum Aulæ Heroum & Principum bene constitutæ, Virtutum non vulgarium seminaria sint ac palestræ, iis exercendis, contulit *Se* in Aulam id temporis splendidam & Nobilibus præclaræ indolis frequentissimam, *Celsissimi* quondam *Transylvaniæ Principis Michaelis Apafi* I. Cujus primùm *Ephæbis* adjunctus, paulo pòst Virtutibus ætatem supergressus, *Ejusdem Cubiculariis* annumeratus est. Quos inter, singulari fidelitate, alacritate, servitorum promptitudine, & decente non minùs quàm prudente *Sui* acco-

modatione, tum apud Principem, tum apud Proceres Regni magnam nactus est gratiam: eousque, ut præter ministeria Aulica, publicis etiam Regni servitiis applicaretur, & in casibus non quorumvis fidei committendis sæpius adhiberetur. Et primò quidem, ortà eo tempore non levi seditione in Transylvania, ob conjurationem quorundam Procerum adversus Principem, ad eam sopiendam, expedito ad Portam Ottomannicam Regni Legato, *Illustrissimo* quondam *Voiffango de Bethlen Cancellario*, adjunctus est. Mox funesta belli face accensa, inter Christianos & Musulmannos, ac secutis indè dubiis afflictæ hujus Patriæ rebus, quæ tunc Imperio Turcarum parebat; Ejus securitati sæpius cum discrimine vitæ consuluit. Sæpè enim clam (: nè quid Barbarus subodoraretur :) ad Excellentissimos Campi-Mareschallos & Generales Armadæ Christianæ: sæpè *Viemam*, ad *Aulam Augustam*, cum publicis instrumentis, celeri per Postam itinere, ablegatus est. Ubi rebus fidei suæ commissis, strenuè ac fideliter in bonum Patriæ procuratis, tum ab Augustissimo Imperatore LEOPOLDO I. beatæ reminiscentiæ, singulari munere donatus; tum Procerum & Provinciæ favorem *Sibi* concilians, digno laborum præmio & honore maectatus est. Dein' ad *Valachie* quoque *Principem* publico nomine expeditus; indè redux, Commissariatûs & alia munia obivit. Quibus cum laude functus, à *Celsissimo Michale S. R. I. Principe Apasio II.* inter *Aule Familiares* receptus, & ab Eodem *supremus Stabuli Magister* creatus est. Cujus tantam demeruit gratiam, ut perspectis Virtutibus *Ejus*, compertâ præprimis fidelitate & constantiâ,

facramen-

711

sacramento fidei quo *Illum* Sibi obstrictum habuit, ad usque novissima exolvi passus non est; quod & *Ille*, sanctè observaturum juravit.

Toto ferè hoc tempore cœlebs, rebus *Suis* familiaribus consulturus, nè *Virtuti* quoad externam vitæ commoditatem *Fortuna comes* deesset, sancto matrimonii fœdere junxit *Sibi Nobilis* quondam *Valentini Szöts*, Senis in *Sylvania* & vicinis partibus ob facultatum copiam famigeratissimi *Viduam*, Matronam providam & bene dotatam. Quæ, inclinante in dies ætate, quum annos admodum septem, variis conflicaretur morbis, & sensim viribus exhauriretur; *Illam* tamen etiam clinicam, conjugali fide amplexus, ad extrema usque fideliter procurare non destitit. Quâ tandem A. 1709. amissâ, tædia viduitatis relevaturus, secundas auspiciatus est nuptias, secundo omine lectâ *Sibi* in individuum vitæ & curarum Sociam, *Nobili ac Generosâ* SOPHIA KESERÛ, *Generosi* quondam *Wolffgangi Gut*, *Inchyti Comitatus Szolnok mediocris Vice Comitis*, *Viduâ*, Matronâ lectissimâ, & dotibus quæ muliebri genus ornant probè instructâ. Solennibus nuptiarum rite peractis, Anno currente 1710. die 2. *Januarii* in Oppido *Somlyo*, subitâ metamorphosi, Fatorum austeritas, quæ læta tristibus miscere solet, coeptis intercessit gaudiis: diebus enim non nisi 5. interjectis, excurrente *Claudiopoli* valido exercitu Cæsareano; Neo-Conjux fugâ Sibi salutem quærere coacta, *Ipsè* autem, à Cæsareanis interceptus, *Claudiopolim* captivus ducitur: accedente tamen singulari Officialium S. Cæsareæ Regiæq; Majestatis gratiâ, paulo post libertati restitutus, *Inchyti Comitatus Karasynensis* substitutus *Vice Comes* creatur: & Conjugem per unam

& viginti septimanas exulantem, diu anxie desideratam recipit. Ita voti compos, quum mansura *Sibi* polliceretur gaudia, & longiorem speraret vitam, in casto amore dulcissimæ Conjugis transigendam, trimestri spatio cum diebus 2. in mutuo amore transactis, ex insperato *Peste* correptus, invidâ Parcarum manu succiditur, & vitæ simul ac votorum cursu excutitur. *Claudiopoli. Anno præmemorato 1710. AEtatis Suae 52. die 30. Augusti.*

E vivis sic excedens, Conjugi dilectissimæ, nunc Viduæ, luctum acerbissimum. Patriæ notabilem jaeturam. Fratri germano *Generoso Sigismundo Biedskuti*, quem impensè dilexit, magnum doloris argumentum. Nobilibus Exemplum imitatione dignum. Bonis omnibus, amorem ac desiderium *Sui* reliquit. *Sibi* autem, Virtutibus etiam post Fata perennaturis, Pietate in Deum, Zelo in Religionem, Addictione in Ecclesiam, Fidelitate in Principes, Amore in Patriam, Humanitate in quosvis, Liberalitate in egenos, Munificentiam in Gymnasia & Ecclesias, quibus suprema voluntate pia legata liberaliter disposuit, & cæteris haud facilè recensendis, peperit æviternum Decus ac immortale nomen.

Ut in *Illo* veret suprâ scriptum Apophtegmâ:

Virtus post fata perennat.



CLAUDIOPOLI, Excudit *Samuel P. Tel.* A. 1710.